DE LARGIORUM CALOMELANOS DOSIUM USU ATQUE EFFECTU.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHYSIOLOGICO-THERAPEUTICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. M. AUGUSTI A. MDCCCXLVII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ALBERTUS LESSER

SEDINENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. WEHMER, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.

H. PRASSE, MED. ET CHIR. DR.

A. SCHAEFFER, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

FERDINANDO LESSER,

DIVISIONI EXERCITUS BORUSSICI MEDICO PRAEFECTO ETC. ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Sacrosancto majorum more pactum est, ut, qui lauream doctoralem appetat, diligentiae suae atque eruditionis publicum specimen exhibeat, sive opusculum inaugurale conscribat de materia ad eam doctrinam pertinente, cui studia academica dicavit. Quum vero quadriennium academicum, quod medicinae studiosi in condiscendis disciplinis ad artem salutarem spectantibus consumunt, vix sufficiat, ut audita et observata omnia in succum et sanguinem vertant, raro tempus iis suppetit, quo nova indagare et in lucem edere possint. Quid ergo superest, quam ut argumentum ex vasto medicinae campo desumtum amplectantur idque iterum atque iterum ventilatum summa, qua possunt, diligentia exponant. Quibus probe reputatis, quid mihi artis salutaris penetralia adituro aptius potuit obtingere, quam ut methodum a patre meo [1]) apud Germanos introductam, typho largioribus calomelanos dosibus medendi, longius persequerer accuratissimamque hujus methodi notitiam subjicerem. Noli opinari, me laudes egregiae hujusce methodi, ante septemdecim annos introductae, celebraturum; in eo tantum operam posui,

[1]) F. Lesser, Die Entzündung und Verschwärung des Verdauungskanals als selbstständige Krankheit. Berlin 1830.

ut, partim aliorum experientia, partim meis ipsius observationibus adjutus efficacitatem calomelanos eximiam, singulatim dosium largiorum, quam exactissime explorarem. Quonam modo res mihi cesserit, nescio, fore tamen spero, ut Lectores Benevoli, virium imbecillitatem, quae tironis est, probe meditantes, mitius ferant judicium.

Hydrargyrum muriaticum mite (Calomelas, Mercurius dulcis, Hydrargyrum chloratum mite,) ut nemo ignorat, connubium sistit hydrargyri atque chlori, ita quidem, ut quisque hydrargyri atomus chlori atomum contineat. Paratur calomelas vel sicca via, i. e. sublimatione (secund. Pharmacop. boruss.), vel humida via, i. e. praecipitatione, quam methodum Scheele proposuit. Nondum diremtae sunt controversiae, utra harum parandi methodorum principatum mereatur. Scheelii methodus hydrargyrum subtilissime distributum efficit, quare Oswald et Dulk effectum ejus multo potentiorem esse tradunt, quam alterius, quod lapide praeparatorio conteratur; contra Martius et Jaeger [1]) experimentis institutis, nunquam effectum validiorem hocce praeparatum praestare, sibi persuaserunt. Quidquid demum est, Calomelas praecipitatione certe facilius paratur, quoniam tritio laboriosa et periculosa usque ad hydrargyri extinctionem vitatur. Martius hac parandi methodo utitur: duodecim hydrargyri unciis drachmae duae — tres Ammonii muriatici, aquae libris duabus solutae, adduntur. Humor, qui primum defluxit, refunditur, tum Calomelas aqua frigida eo usque abluitur, donec lotura, quae hydrargyri muriatici corrosivi vestigium

---

[1]) Pharmaz. Centralblatt 1834. S. 539.

obtulit, salium argenti solutionem non amplius turbet. Praeparatum hac ratione obtentum omni destituitur adulteratione, cui hydrargyrum sublimatum semper est obnoxium, quoniam inter tritionem laboriosam facile substantia phialae, pulvis, alia, inquinationem efficere possunt. Microscopio adhibito hydrargyrum praecipitatum facile distinguitur, quippe quod prismata dislocata quadrilatera, extremitatibus quatuor inaequabiliter acuminatis praedita, sistat, tritum vero, omnis structurae expers, odore atque sapore caret.

De Calomelanos efficacitate in universum.

Calomelas omnium salium mercurialium mitissimum gravius tamen est, quam mera oxydula, quare inter haec et oxyda medium tenet locum. Jam Wendt [1]) triplicem ejus vim therapeuticam in organismum humanum defendit, quae vario quidem modo se manifestet, sed omnibus sub conditionibus cohaesionis diminutionem sistat.

Proxime igitur Calomelas in cohaesionem omnium telarum serosarum, mucosarum et glandulosarum ita agit, ut rarefaciat inflammationes, in hisce partibus obvias restringat, earumque opportunitatem, metamorphoses organicas efficiendi, auferat. Nusquam mirus iste effectus tam evidenter cognoscitur, quam in glandulis salivalibus, quibuscum qualitativam alit rationem. Effectus Calomelanos rarefaciens quandoque multum periculi infert, itaque nonnullis in casibus absolutam contraindicationem sistit; quodsi enim cohaesio organica per se extenuata est partesque magna proclivitate ad decompositionem feruntur, medicamenti nostri usus plurimum detrimenti inducere potest, e. gr. vigente dyscrasia scrophulosa. Princeps [2]) igitur est hydrargyrum muriaticum mite remediorum antiplasticorum,

---

[1]) Wendt, materia medica. p. 57.

[2]) Vogt, Pharmacodynamik Bd. II. S. 367.

quippe quod liquescentiae processum in corpore perficiat, sanguinis solubilitatem adjuvet seu cohaesionem diminuat, imo ablatis particulis plasticis sanguinis cacochymiam, morbum mercurialem, inducat. Primaria autem effectus antiplastici causa in diminutione fibrinae sanguinis, quam Calomelas infert, cernitur. Sanguis enim liquidus, fibrinae inops, ad pulmones pervehitur, unde, effecta eorum irritatione et inflammatione, per cor ad vasa capillaria deducitur. In his abunde fibrinae superest, quae cum sanguine ex corde advecto miscetur, tandemque sanguis universum circulationis apparatum permeans majore minorive fibrinae parte privatur. Qui sanguis tantum abest, ut materias ad regenerationem necessarias cum organis communicet, ut particulas, quibus organa ad debitam mixtionem indigent, solvat illisque auferat, in quo praecipue hydrargyri vis antiplastica cernitur. — Secundus Calomelanos effectus, si dosibus utimur largioribus, praesertim in tubo intestinali manifestatur, in quo virtute pariter blanda atque specifica haud mediocrem humorum alborum secretionem evocat, qui per anum egeruntur. Qui quidem effectus adeo constans ac certus est, ut plerisque in casibus, quibus salivatio non sustinetur et opportunitas ad hyperemesin alia remedia adhiberi dissuadet, Calomelanos usus plerumque feratur. Quod attinet ad hunc effectum quam maxime celebratum, nihil aliud est, nisi interpres virtutis antiphlogisticae primitivae [2]), qua excellit calomelas, et partim eo explicatur, quod Calomelas in sanguinem receptum partes plasticas fibrinosas, in sanguine superantes, lympham ad coagulationem solidasque formationes proclivem, solvit et liquefacit, ergo princeps inflammationum elementum in ipso earum foco impugnat, partim eximia vi revulsoria, quam in tubi intestinalis tunicam mucosam exserit, cujus irritatione efficitur, ut pro-

---

[1]) Sobernheim, Handbuch der mat. med. Th. II. S. 318.

cessus inflammatorius eodem derivetur. Potentissimus ejus effectus antiphlogisticus, qui virtute relaxante et liquefaciente nititur, in organorum vegetationi inservientium, speciatim membranaceorum et glandulosorum inflammationibus, ad exsudationes et formanda pseudoplasmata opportunissimis, apparet. — Tertius Calomelanos effectus ad hepar respicit, quippe cujus organi cohaesionem nostrum remedium ita offendat, ut bilis uberior in tubum intestinalem effundatur; dum igitur hac ratione nova actio vicaria introducitur, organa gravissima atque nobilissima expeditiora redduntur et diathesis elevatur. Proinde Calomelanos usus metaschematismum evocat, cujus primum argumentum alvi excreta viridia exhibent, quae nostrum remedium in morbis inflammatoriis adhibitum sequuntur et quorum introitus plerumque primum symptomatum morbosorum levamen affert. Qui effectus resolvens non ad hepar solum, sed ad universum systema lymphaticum pertingit, non secreta tantum adauget, verum etiam liquidiora reddit simulque fusca aut viridiuscula, neque minus renum secretio intenditur Calomelane, cutis autem transpiratio antagonismi lege diminuitur.

Quod ad intestinorum secretionem attinet, Calomelas effectum magis universalem, quam aliud purgans remedium praestare videtur [1]); in ventriculo quendam nauseae gradum excitat, ductus biliferos eluit, stercora in intestinis collecta promte expellit, secreta morbosa corrigit parvisque conjunctum dosibus antimonii oxydati cum phosphate calcis (Pharm. Edinb.) aut tartari stibiati non minus cutis transpirationem adjuvat, quam alvum ciet. Quemadmodum in organa secretionibus et excretionibus praeposita, ita etiam in pulsum irritamenti instar [2]) calomelas agit.

---

[1]) Armstrong, praktische Erläuterungen über das Typhusfieber etc. Leipzig 1821. S. 114.

[2]) Brandes Handbuch der mat. med. S. 139.

Descriptis calomelanos effectibus plerumque adaucta salivae secretio supervenit, quamobrem vim, quam remedium in glandulas salivales exserit, recte specificam dicimus. Continuato calomelanos usu ciborum appetentia interit, digestio subvertitur; ventriculi dolores et colicae affectiones accedunt, animae foetor exoritur; dentes labefactantur, muco sordido obteguntur, excidunt; glandulae salivales tumescunt magnamque salivae acrioris copiam secernunt, omnia demum illa sese offerunt symptomata, quae Mercurialismi nomine impertiuntur. Huc ineuntem ptyalismum concomitans virium prostratio, tam animi, quam corporis, pertinet, aegrotantes alte spiritum ducunt aut suspirant; accedunt pulsus irregulares saepe lipothymiae. Nonnunquam hisce symptomatibus febriles motus succedunt, quorum paroxysmi alii horrorem ostendunt praevalentem, alii paucis diebus post intermittentis inflammatoriae indolem prae se ferunt; at pulsus semper parvus est et frequens, ventriculus et tubus intestinalis aegrotant, facies collapsa psychicam calamitatem exprimit, aegroti omnes corporis mentisque labores perhorrescunt et haud raro inter haec symptomata diem obeunt supremum. Ingens salivae secretio proinde ac numerus alvi excretionum ad materiam peccantem sese conformat et ex his metiendum est, quousque hydrargyri usum continuare liceat. Jam exiguas doses modo quindecim ad viginti excretiones, modo una tantum aut duae sequuntur. Nonnullis hominibus eaedem doses parcissimae haud diu continuatae, ptyalismum inferunt, imo oris cavum adeo offendunt, ut sphacelus et mors subsequantur[1]). Puellae undecim annos natae, cui ob acutam tracheitidem intra viginti quattuor horas octo Calomelanos grana exhibita fuerant, ea oris affectio supervenit, quae remedii usum suspendi juberet; nihilominus

---

[1]) Hufeland's Journal Jan. 1822 p. 4. Mai 1822 p. 6.

labia et genae sphacelo destruebantur et mors post octavum a curationis initio diem irruebat [1]). Altero in casu, quem Stockes et Graves observarunt, sumtis octo calomelanos granis aeger exspiravit; Heuerman tres homines ptyalismo inexpugnabili vidit extinctos. Auctore Haseloff mediocrem hydrargyri muriat. mit. contra anginam membranaceam adhibiti copiam caries insanabilis excepit [2]). Pater meus typhoso cuidam in primo morbi stadio parvas calomelanos doses exhibuit. Granis circiter quindecim remedii sumtis, ptyalismi vestigia effecerunt, ut ejus usus seponeretur. Elapsis hinc viginti quatuor horis, gingivae tentabantur gangraena, quae mox labium sinistrum totamque genum usque ad orbitam destruxit et post dies octo vitam aegroti extinxit [3]).

Altera parte nonnulli homines doses calomelanos ingentes citra ptyalismi introitum ferunt. Dr. Chisholm [4]) quibusdam aegrotis centena hujus praeparati grana salvis glandulis salivalibus sese praebuisse tradit. Tortolae [5]) cuidam aegroto mille et centum, Portu regio bis mille et quingenta Calomelanos grana citra ptyalismi introitum praebebantur, exemplorum hisce similium haud mediocris numerus deprehenditur.

Mammarum denique lac Joret [6]) in nosocomio syphiliticorum Parisiensi mutatum vidit apud nutricem, cujus infans in diarrhoeam incidit, seposito demum calomelane desinentem.

---

[1]) Salzbg. med. Zeitung 1828. No. 4.

[2]) Caspers Repert. XXX. 1. Heft.

[3]) Lesser, l. c. S. 409.

[4]) Essay on the malignant essential Fever v. Med. comm. Dec. II. Vol. X. p. 108.

[5]) Horn Archiv Jahrgang 1820. Bd. 2. p. 273. 274. — Warren on Mercury in febrile diseases. Boston 1813.

[6]) Froriep's Notizen No. 947. M. 1835.

Effectus variarum Calomelanos dosium.

Quod ad nostri remedii effectus pro dosium varietate pertinet, exiguae portiones, grani quadrantis aut dimidii, plerumque manifestam actionem haud proferunt; sin longius per tempus istae doses porriguntur, salinorum instar irritantem et alterantem effectum exserunt. Doses granorum duorum ad sex alvum laxant. Magnas denique portiones, a granis duodecim ad scrupulum, imo ad drachmam, in ventriculum ingestas semper inflammationem ejus ciere dixerunt, id quod pater meus experimentis numerosis, in nosocomio militari, cui Berolini praeerat, institutis refutavit eique postea Wolff, Sicherer, Joret, alii suffragati sunt. Largis calomelanos dosibus sumtis, aeger initio nihil incommodi experitur. Elapso autem aliquo temporis spatio, quatuor aut quinque circiter horis, pro varia aegroti idiosyncrasia, dolores colici leniores saepeque, si magna turgescentia ad superiora exstat, vomitus cum levamine subeunt, dein prima alvi excretio accedit, plerumque admodum copiosa aegrotumque non mediocriter sublevans, quippe qua colici dolores fere ex toto auferantur; quofacto intra viginti quatuor horas plures alvi excretiones pulticulares (plerumque quatuor), raro salivatio, subsequuntur; diuresis haud nimium adaugetur, quare Calomelas generatim magis in morbosam ventris venositatem vim exserere videtur. Gastroenteritidis phaenomena multo rarius, quam putare solent, evolvuntur, etsi quibusdam in casibus intestinorum inflammatio et gangraena existere possunt (cf. Times 26 April 36). — Quod ad alvi excretionum numerum attinet, alii aegroti sumtis duodecim calomelanos granis, decem-duodecim sedes, alii eadem portione deglutita modo unam vel duas experiuntur. Secundo in casu omnis calomelanos efficacitas ad tunicam oris mucosam vertitur, rubor et tumescentia gin-

givarum exoriuntur, quibus salivatio mox succedit. Joret (l. c.) in triginta casibus modo ter symptomaticam hanc exacerbationem observavit, pater meus in octoginta casibus modo sexies, e quibus una tantum gravior erat. Excrementa calomelanos usum sequentia biliosa, quae vocantur, colorem sordido viridem, nigrescentem offerunt.

Majorem mercurii dulcis copiam non in sanguinem vehi, sed per intestina evacuari, quamquam ad evidentiam probatum non est, tamen plurimi persuasum habent.

Faeces [1]), vix acidam reactionem offerentes, microscopio submissae materias viridiusculo colore tinctas albumini coagulato similes, et parcam globulorum adipis copiam exhibent; salium crystalli non animadvertuntur. Massae siccatae partes centum, quas Fr. Simon chemicae submisit analysi, has praebuerunt rationes:

Adipis cholestearinici, atroviridi colore tincti partes	10,00
Materiae chymosae	24,30
Bilini cum acido bilinico in minimo bilini et biliverdini	21,40
Materiae extractivae	11,00
Natri lactici, natri chlorati, natri phosphorici, phosphoricorum salium terraneorum, ferri oxydati	12,90
Albuminis et muci biliverdino tincti	17,10

Hydrargyri praesentia certo demonstrari non potuit; colorationis causa, saltem in quinque casibus oblatis, a magna bilis copia repetenda fuit.

Autenrieth [2]) et Zeller calomelanos vestigia non modo in sanguine, verum etiam in excretionibus et evaporationibus aegrotorum se detexisse affirmant, ita ut adeo hydrar-

---

[1]) Schmidt's Jahrbücher 1841. Bd. 22. S. 8. 9.

[2]) Hecker, mat. med. II. 601.

gyrum regulinum super periosteo accumulatum fuerit, id quod jam Faloppia et Becchold observarunt.

Virtutes anthelminthicae directae in calomelane non insunt, sed partim a purgante partim ab antiplastico ejus effectu pendent. Dr. Bock[1]) duobus suffultus casibus e sua experientia desumtis, eorum sententiam refutavit, qui largas calomelanos doses solidae ossium fractorum conglutinationi non obesse perhibuerunt.

Quodsi ad corporis constitutionem animum advertimus, calomelas robustis hominibus saluberrimum est, a viris igitur in universum melius sustinetur, quam a mulieribus, melius ab iis, qui vitam agunt laboriosam, quam qui sedentariae indulgent. Pari modo homines bene nutriti promtius ferunt calomelas, quam tenues et macilenti, promtius igitur validi agricolae, quam eorum proles effoeta, quae diu in urbibus majoribus et frequentibus vixit. Paucae exstant constitutiones, quae calomelas qualibet forma exhibitum plane non ferant. Infantes[2]) etiam calomelanos doses magnas bene sustinent, quamquam non doses singulorum scrupulorum, tamen relative largas.

Hamilton infanti duorum annorum intra duodecim horas grana triginta sex, pater meus[3]) infanti ejusdem aetatis intra sex dies grana viginti et unum egregio cum successu porrexerunt.

Vetant remedii nostri usum phthisica constitutio, conditiones ad sanguinis dissolutionem vergentes, magna partium solidarum rarescentia, nimia corporis teneritas atque sensibilitas, graviditas, scorbutus, idiosyncrasia mercurialis, sudores profusi, diarrhoea, alia profluvia colliquativa.

---

[1]) Bock: Ueber den Einflufs der Diathesen auf die Wirkung der Arzneimittel. cf. Abhdlg. d. ärztl. Gesellsch. zu Münster. Bd. I. 1829.

[2]) Albers, Vorrede zu Franc. Home's Untersuchungen über die Natur, Ursach und Heilung des Croup. pag. IX.

[3]) Lesser, l. c. p. 435.

Aptissima, qua Calomelas praebeatur, forma, haud dubie boli est, ita ut involvatur glutine ejusque contactus immediatus cum oris cavitate caveatur (Lesser, Schoenlein); vel pulveris (Wendt). Optima excipientia sunt saccharum et saccharum lactis, interdum multo cum fructu lapides cancri aut magnesia carbonica adduntur. — Ineunte ptyalismo calomelas seponendum est et aqua jodata cum laxantibus adhibenda; vomitionibus accedentibus, auctore Wolff addito elaeosaccharo menthae piperitae, aut aquis aromaticis pro potu exhibitis occurrere licet.

De Calomelanos in animalia efficacitate.

Experimenta ab Annesley circa canes instituta, qui ingestis magnis calomelanos dosibus, post viginti quatuor horas interficiebantur, majores hujus remedii portiones vim sedativam exhibere, comprobarunt, quippe quae vasorum actionem magis demulceant, quam excitent; quibus partim explicatur, cur hocce praeparatum, si ℈j una vice offeratur, ventriculi irritabilitatem adauctam et vomitum inde exortum diminuat.

Variis canibus doses minores et majores (ʒj—iij) praebebantur et relative maxima vasorum copia in superficie ventriculi interna apud eum reperiebatur, canem, qui minimam calomelanos dosin devoraverat, sano cane interfecto, vasorum copia in ventriculo multo major, quam apud reliquos, qui mercurium dulcem sumserant, apparebat. Duodenum et ventriculos canum qui calomelas deglutiverant, pallidiores minusque vasculosi, crassum vero intestinum usque ad anum gravi inflammationi obnoxium deprehendebantur, ex quibus Annesley ratiocinium ducit, largas calomelanos doses inflammationem quidem tunicae mucosae ventriculi et duodeni auferre, sed vim horum organorum vitalem adeo deprimere, ut tenesmus et sedes mucoso-cruentae subsequantur. Con-

tinuatus remedii usus inprimis dysenteriam tandemque intestini crassi destructionem inducit.

Pater quoque multa experimenta circa animalia instituit, quae haec obtulerunt. Dato calomelane, animalia plerumque tristitia corripiebantur aut solita alacritate privabantur, frequentes experiebantur alvi excretiones, nihil fere pabuli capiebant, multum vero bibebant, quo facto urinam mittebant. Sitis repetitis calomelanos dosibus adeo intendebatur, ut canes detenti in spatio prope aquam sito, dum ore aquam hauriebant, eandem per vias uriniferas redderent.

Corporis pondus multo diminuebatur. Canis qui die Octobris sexto pondus habuerat ℔. xxvij, ℥ v, ʒ vij, sumto calomelanos scrupulo, pondus exhibuit ℔ xxvij, ʒ vij, defectus igitur ℥ v fuit.

Die nono Octobris ante sumtum Calomelas idem canis habuit pondus ℔. xxvij, ℥ iij, ʒ vij, vespere ℔. xxvj, ℥ xj, ʒ vij; defectus ℥ iv, ʒ vij.

Die Octobris duodecimo ante ingestum mercurium ℔ xxvj, ℥ viij, ʒ ij, vespere ℔ xxvj, ʒ ij; defectus ℥ viij.

Die duodevicesimo Octobris mane ℔. xxvj, ℥ v, ʒ iv, vespere ℔. xxvj. ℥ j, ʒ ij, defectus ℥ iv, ʒ ij.

Die vicesimo secundo Octobris ℔. xxiij, ℥ vj, ʒ iv.

Proinde corporis pondus intra sedecim dies circiter ℔ iv diminutum erat.

Pluribus interfectis canibus, in thoracis et abdominis cavo ingens systematis venosi oppletio inveniebatur; siquidem vel minimi venarum ramuli sanguine atro turgebant. Pulmones et cor nihil anomali ostendebant, excepto uno cane, cujus dextrum cordis atrium aeque ac ventriculus venoso sanguine scatebant. Hepar molle multisque in casibus adeo amplificatum erat, ut in sinistrum hypochondrium porrigeretur, totumque paene ventriculum contegeret. Vasa ex

hepate prodeuntia, paucis exceptis, non eum in modum oppleta erant, ut inde de inflammatione concludere posses. Tubus intestinalis circa jejunum colorem aurantiacum obtulit; alius canis fere totus ventriculus muco pallido flavescente obductus fuit, qui difficulter ablui poterat. Interior ventriculi facies multis rugis atque plicis semper obtecta reperiebatur; superficies interna intestinorum, coloris albido-flavi gelantinosam exhibuit indolem, ita ut largior muci secretio locum habuisse videretur; apud alios canes color albo-rubellus apparebat. Canis alicujus tunicae mucosae atque villi eam ostendebant dissolutionem, ut levi tritione a tunica musculari possent diduci; alius canis tunica villosa dissoluta existimari non poterat, membranae autem nonnullorum villorum quasi inflammatae apparebant, quamquam non eo gradu, ut inflammationem pro mortis causa haberes; glandularum evolutiones tantum in dimidia parte intestini mesenterialis, ante valvulam Bauhini, evidenter animadvertebantur; canis cujusdam, qui modo ℈j Calomelanos devoraverat, laminae glandulares numero circiter decem adeo evolutae erant, ut longitudinem $\frac{1}{2}'''$, latitudinem $2 - 3'''$ aequarent. Locorum tumidorum, rarefactorum speciem prae se ferebant. Crassum intestinum materiis atro-viridibus felli similibus impletum erat; plures apud canes in crasso intestino vivi ascarides atque trichocephali inveniebantur. Duobus in casibus mortis causa in fame ponenda erat, quum uterque canis intra dies octo et quod excurrit nihil pabuli sumsisset, in aliis duobus exemplis in perfecta aut partiali intestini et villorum dissolutione; aliis in casibus mors consulto, vel suspendio vel plaga ad cervicem applicata inducta erat. —

Experimenta circa columbas et anseres instituta, si discedas a communibus illis phaenomenis: tristitia appetentiae defectu, ponderis deminutione, semper pectoris organa integra,

superius tubi intestinalis dimidium albo flavidum et admodum vasculosum, raro autem inflammatorio rubore notatum, partem vero tertiam inferiorem gelatinosam, tunicas mollitas et friabiles, vasa ad tenuissimos usque ramulos turgida, summatim omnia inflammationis intensioris criteria obtulerunt. Anseris alicujus hepar morbo manifesto affectum, pluribus locis inflammatis conspicuum apparebat, quae passim lividum colorem eamque mollitiem prae se ferebant, ut si nondum gangraenosa diceres, certe a gangraena proxime abessent. Mors sua sponte semper irruebat.

Caniculis etiam, circa quos Lapierre (Diss. inaug. 47.) nuperrime experimenta instituit, mors sua sponte, septem Calomelanos granis semel sumtis, post triduum supervenit. Facta sectione, ventriculi tunica mucosa admodum tenuis et coloris sordido fusci inveniebatur, intestina tenuia flavo muco gelatinoso impleta, rectum fere toto cursu inflammatum, mollibus, saepe sanguineis faecibus plenum, in interiore superficie numerosis obtectum ecchymosibus; hepar molle colore magis nigricabat, sanguine abundabat; cor perparum sanguinis liquidi continebat; sanguis denique ipse nunquam coagulabat; reliqua organa nullam paene ostendebant mutationem.

Adhibito microscopio, mucum in tubo intestinali repertum ex multis corpusculis rotundis constare patebat, quae partim cellularum nuclei cylindricarum, partim ipsae cellulae dissolutae erant; praeterea mucus numerosa sanguinis corpuscula continebat, debitam habentia indolem; epithelium ventriculi cellulas contractas, in parvos globulos digressas offerebat.

Quod experimenta in majoribus animalibus instituta attinet, legatur Viborg [1]), qui equo unciam calomelanos dimidiam

[1]) Viborg, Sammlung für Thierärzte. T. IV. — Flormann ibid. T. III.

ingessit, quo facto tussis accedebat, pulsus frequentior reddebatur, pabuli desiderium minuebatur et post viginti quatuor horas fimus mollis excernebatur.

Flormann equos, quibus Calomelanos ℨß ad ℨjß dederat, tremoribus et diminuto pabuli desiderio, minime tamen auctis secretionibus vidit correptos. Hertwig [1]) denique equis ℨiij—vj, pecudibus ℨj—ℨiij praebuit, quo facto omnia veneficii mercurialis signa accesserunt, secretiones haud mediocria ceperunt incrementa, mors inter febris putridae symptomata irruit. Inciso cadavere, totus tubus intestinalis collapsus, tunica mucosa inflammata, epithelio privata, ecchymosibus obtecta, reliqua viscera laxa et mollita deprehendebantur.

De Calomelane generatim adhibendo.

Quae de Calomelanos effectibus hactenus dicta sunt, facile nobis persuadent, magnum numerum morborum inflammatoriorum et congestivorum hocce remedio celeriter certoque posse sanari. Paucae quidem horum morborum formae offeruntur, Calomelanos usum respuentes, eae nimirum, in quibus sola vita irritabilis aegrotat et inflammatoria diathesis ad secretoriam superficiem non transgreditur, ut pneumonia vera et carditis. Reil [2]) in universum calomelas repudiat, dum febris concomitans synochae indolem prae se ferat, certe venaesectiones praemittendas esse affirmat.

Historica. Primus, qui calomelas in morbis febrilibus adhibuit dosesque ejus haud parvas dedit, Joa. Agricola fuit [3]), quippe qui paucos intra dies ultra quingentos homi-

---

[1]) Hertwig, practische Arzneimittellehre für Thierärzte. 2. Auflage. p. 888. sqq.

[2]) Reil, Fieberlehre. Bd. II. S. 569.

[3]) J. Agricolae, Comment. in Poppium. Leipzig 1638. S. 175.

nes febri tentatos in integrum restitueret. Praemissa alvi purgatione, pro individua aegrotantium indole grana iij—jv cum cardui benedicti et herbae absinthii āā ℈j ante paroxysmi introitum exhibuit. Quum anno 1613 Vindobonae posteaque a. 1625 et 26 febres contagiosae et pestiferae evasissent, Calomelane familiam suam et quidquid illis oppressum erat, sanavit, theriacam admiscuit dosesque granorum 5 — 6 — 8 cum diaphoreticis extractis dedit, donec sudor emergeret. —

Porro Itali quidam, Benevenuti [1]) Moreali, Bertini, Bianchi, Cotunni, Ghisi, Valdambrini, in febribus epidemicis malignis, nominatim Luccae, ubi a. 1734—35 febris epidemica contagiosa grassabatur, calomelas cum successu adhibuerunt, ejusque ʒj pro dosi cum chinini granis iij, multis aliis remediis frustra adhibitis, praescripserunt. Primus autem, qui Calomelanos ut antiphlogistici remedii usum vulgarem reddit, Anglus fuit Hamilton [2]), cui eam ob rem magna debentur merita magnique honores. Innotuit ei haec methodus per medicum nauticum (a 1764), reducem ex India orientali, ubi jam ex longo tempore ad tollendas hepatis inflammationes, ibidem grassantes, in usum vocata erat. Quam curandi methodum Hamilton, observato egregio ejus effectu, mox ad omnia morborum inflammatoriorum genera transtulit. Praemissis sanguinis detractionibus, purgans leve, aut clysma aperiens adhibuit, dein horis 6 — 8 — 12 Calomelanos gr. j — v cum opii puri gr. ¼ — j dedit.

Mox alii sunt secuti. In febri flava tropica, febri palustri Bengaliae et febribus venosis ibidem grassantibus

---

[1]) Benevenuti, Diss. epist. ad Clar. Beccarium 1714. — Reil, Fieberlehre. Bd. II. S. 567.

[2]) Dr. Hamilton, Brief an Duncan in Med. Comment. for the years 1783. 84. Vol. IX. cf. Armstrong l. c. S. 434. 438. sqq.

Clarke [1]) ternis horis ᾱα gr. decem radicis jalapae et calomelanos praebuit; persistente vomitu, calomelanos solius grana decem eo usque exhibebantur, donec alvus purgaretur, quo facto aegroti ternis vel quaternis horis grana ejus quinque vel cum vel sine opio sumere jubebantur. Tali modo Clarke intra triduum grana 60 — 100 Calomelanos magno cum successu dedit. Dr. Drummond [2]) in Jamaica insula intra idem temporis spatium grana 200 porrexit, quam curandi methodum Dr. Smith in urbe Savannah la Mar, qui in febribus acutis egregio cum fructu Calomelane ùtebatur, cum eo communicaverat. Chisholm [3]) eodem in morbo pilulam ex Calomelanos gr. v, stibii gr. ij et opii gr. j octies intra viginti quatuor horas dedit; nonnulli aegrotorum tali modo grana quadringenta sumsisse dicuntur; accedentem salivationem boni ominis existimavit. James Johnsonn [4]) in febri palustri remittente Bengaliae gr. x — xv calomelanos partim sola, partim cum colocynthide aut jalapa exhibuit. In febri biliosa, morbo regionali, Dr. Cunningham, praemissis venaesectionibus ℥xx — xv, ternis horis grana vj — viij mercurii dulcis praebuit. Annesleÿ [5]) hoc remedium in febribus acutis, dysenteria, hepatitide multifariam adhibuit; granis ejus xx p. d. granum opii j — ij addidit. Elapsis horis septem vel octo, laxans dedit parcum et hanc curationem continuavit, donec secreta bonam speciem prae se ferrent. Simul Annesley (id quod etiam Schoen-

---

[1]) William Wright praktische Beobachtungen über die Behandl. hitziger Krankh. in Westindien cf. ausl. Abhdlg. Bd. 18. S. 598.

[2]) ibid. Bd. 18. S. 599.

[3]) Chisholm, Essay on the malignant pestilential fever s. med. Comment. Dec. II. Vol. X. p. 108.

[4]) Salzbg. med. Zeitung 1816. Bd. 3.

[5]) Magaz. der ausl. Litteratur. Bd. 12. p. 475. — Ausl. Abhdlg. Bd. 34. p. 185.

lein: Kl. Vorträge, 1845, S. 4), eorum sententiam impugnat, qui, ut calomelas prosit, oris cavum debere affici et si id fiat, aegrotum salvum evasurum esse, contendant; quum enim nonnulli homines vix unquam in ptyalismum incidant, continuato remedii usu, quo consequi aliquid studemus, quod consequi non possumus, magnum aegroto periculum enascatur necesse est.

De medica Calomelanos vi in typho.

Summam efficacitatem majores Calomelanos doses in typho praestant, eaque vi medicata fere specifica contra typhum nititur, quam Reimann[1]) his verbis describit. „Vis illa, quam typhus in organismum exercet, plane contraria est ei, quam mercurius in organismum habet; vel potius dyscrasia, quae ex typho exoritur, si pathologiam humoralem sequi volumus, plane contraria est ei dyscrasiae, quae originem ex mercurio ducit. — Ad quam hypothesin comprobandam id tantum afferre debemus, quod in sanguine eorum, qui vehementi ptyalismo laborabant, magna fibrinae copia reperta est. Calomelas sanguine recipi, hydrargyrum oxydulatum nigrum demonstrat, quod post illius usum in sudore et saliva invenitur. Si vero quid in ratione specifica te offendat, magis fortasse placebit, si typhum et mercurium eadem ratione, qua venenum et antidotum se habere censemus atque eam, quam Eisenman proposuit, medendi methodum sequimur, ex qua organismum morbo quasi venenatum medicaminibus tamquam antidotis adhibitis in integrum restituimus. Quod si principium quoddam statuimus in organismo latens et anomalam vegetationem, quae id principium procreat, hydrargyrum non solum habemus antidotum illius veneni — principii typhosi

---

[1]) Reimann, de typho capita quaedam. Breslau 1845.

— sed vim quandam ei adscribimus, qua processum morbosum — vegetationem anomalam extinguere possimus." — Quod Calomelanos efficacitatem in typhum attinet, jam ineunte hoc saeculo mentio ejus facta vix unquam tamen majores doses methodice adhibitae sunt. Reil, (l. c.) Vogel, Autenrieth mercurium dulcem in typho praeberi suadent. Hecker[1]) calomelas cum opio in febribus nervosis et putridis dedit, symptomatibus inflammatoriis in conspectum venientibus. Non minus Harless[2]) in typho lymphatico cum aromaticis medicamentis junctum praebuit ejusque usum magnis laudibus extulit. Omnes autem, quos retuli, medici calomelane utentes non causalem sequebantur indicationem, sed urgens quoddam symptoma, et mox egregium relinquebant remedium, metuentes, ne inimiciorem in corpus effectum exsereret. Jahn[3]) nostra in patria primus exstitit, qui in typho doses repetitas Calomelanos gr. V praescripsit, dosinque ad grana viij—x deinde adauxit. Ad adoptandam hanc methodum partim invitabatur eventu prospero, quem ut minime ignorabat, medici anglici supra relati in febribus tropicis calomelanos usu obtinuerant, partim irrito methodi excitantis ad typhum frangendum effectu, quam methodum Reil, Franke, Hufeland sequebantur. Praeterea alii calomelas salutiferum typhi remedium perhibuerunt, ut Johnes[4]), Otto[5]), inprimis Armstrong (l. c.), qui egregias ejus virtutes in typho congestivo, quem vocat, expertus est. Hamilton ducem secutus doctrinam ejus magis excoluit et

---

[1]) Hecker, die Kunst, die Krankh. d. Menschen zu heilen. 1804.

[2]) Harless, Untersuchungen über das Fieber überhaupt und über das Typhusfieber insbesondere.

[3]) Hufeland's Journal. 1806. p. 1. 109.

[4]) Johnes, Diss. inaug. de util. hydr. in febri thyphode. 1813.

[5]) Otto, Diss. de actione hydr. medica. Hafniae 1819.

mox eventus spe sua majores obtinuit. Typhus congestivus, ab Armstrong dictus, nimia venositate viscerum ventris, plethora abdominali, congestionibus sanguinis ad hepar et lienem, cum dolorifica horum organorum intumescentia, impedito sanguinis per ventrem circuitu, majore ejus carbonisatione et largiore pigmenti depositione nititur, quibuscum ingens debilitas, virium labes, capitis temulentia, pulsus minimus, frequentissimus, lingua rubra, sicca, cutis ardens consociantur. De ipso Calomelanos effectu Armstrong haec apponit.[1]) In illis febribus idiopathicis, quae sine manifestis topicae inflammationis criteriis ordiuntur, calomelas initio prolaxante remedio praeberi ejusque effectus in tubum intestinalem adminiculo quodam juvari debet, quoniam frequens alvi purgatio illam irritationem promtissime demulcet, inflammationemque arcet, quae si nihilosecius mature accedit, sanguinis detractiones topicae instituendae et calomelas ita adhibendum est, ut specificum magis effectum, quam purgantem praestet. In febribus continentibus, ab exordio inflammationem exquisitam offerentibus, optimum erit, post sufficientem sanguinis detractionem calomelas pro purgante simul et specifico remedio adhiberi, nam specificus ejus effectus non obtinetur, nisi vim purgantem antea exserat, quoniam gravis irritatio hydrargyri efficacitati resistit et tubus intestinalis mucoso secreto vitioso plerumque adeo est impletus, ut, nisi hoc secretum ab ostiis vasorum absorbentium auferatur, calomelanos absorptio fieri nequeat. Proinde una dosis largior, vel duae modicae cum aliis aperientibus per diem porrigi possunt, ut crebrae excretiones ante somnum efficiantur et ut perfecta ejus resorptio adjuvetur; per noctem doses partitae praebeantur, et si dolores pectoris vel abdominis accedunt,

---

[1]) cf. l. c. S. 441. sqq.

opii aliquid adjungatur necesse est. Non in omnibus autem casibus Armstrong magnas calomelanos doses defendit. In nonnullis inflammationibus viscerum gravioribus primum calomelanos ℈j cum opii granis duobus, postea horis alternis doses granorum duorum, addito passim opii pauxillo, donec levis salivatio intrasset, multo cum fructu exhibuit. Haec agendi ratio basin constituit methodi, quam pater meus ad curandam gastroenteritidem aut dothienenteritidem introduxit. Satis explorata hacce methodo, eventu prospero creberrime observato, pater descriptionem ejus a. 1830 in vulgus edidit [1]), cujus princeps argumentum breviter apponam. Maximam partem calomelanos ℈j, raro ʒβ p. d. offerebatur. Plerumque una tantum dosis per diem eaque matutino tempore, rarius altera dosis vespere praebebatur. Ineunte diarrhoea profusa, interdum opii gr. β — j addebatur, melius vero omittebatur. Alvo non soluta, post horas 6 — 8 mixtura oleosa, vel infusum sennae compositum porrigebatur et haec agendi ratio quotidie repetebatur, donec morbi intensitas decrevisset, id quod saepe intra biduum vel triduum evenit; haud raro venaesectio larga et calomelanos ℈ij ad morbum radicitus exstinguendum sufficiebant. Ubi mitiora sufficere videbantur, a calomelane abstinebatur et ineunte ptyalismo protinus ejus usus seponebatur. Nonnullis in casibus salivatio mox intravit, neque autem profusa neque diuturna, et nunquam alia afferens incommoda, quam ut molesta esset aegroto doloribusque conjuncta. Quae quum impediret, quominus calomelanos usus continuaretur, exoptata quidem non fuit, attamen ea intrante plerumque remedii usus non amplius requirebatur; quoniam morbus, cujus causa exhibebatur Calomelas, cesserat. Nunquam periculosa symptomata aut de-

[1]) Lesser l. c. S. 430. sqq.

trimenta permanentia accesserunt, quum ne 3β quidem calomelanos effectum nimis violentum cieret. Dolores acerbiores calomelanos usum non exceperunt, modo interdum tormina ventris, qualia senna proferre solet, intraverunt; in universum tamen multo blandius, quam ullum aliud laxans, calomelas alvum aperiebat.

Ex quo pater haec scripsit, ultra tria praeterierunt lustra et medendi ratio, tunc temporis experimenti causa adhibita, nunc experientiae testimoniis comprobata et confirmata est. Quae methodus inde exorta atque cognominata Lesseriana, mox per totum terrarum orbem divulgata est et ubique, ut ita dicam, epidemice floruit [1]).

Elapso triennio postquam pater observationes suas publicaverat, Wolff [2]) patris methodum, in caritatis nosocomio Berolinensi satis exploratam, cum levi quadam modificatione adhibuit, simulque adnotavit, si sueto more grana Calomelanos vel unum vel duo binis vel ternis vel quaternis horis exhibeantur, saepe grana xx — xxx ad inducendum ptyalismum sufficere, dum si largiores doses offerantur, gr. 100 — 150 praeberi possint, quin remedii usum intra dies sex — decem propter salivationem suspendi oporteat; longiore autem tempore plerumque non opus esse tradit ad obtinendum prosperum effectum. Methodus ejus haec est: continuis sanguinis detractionibus, calomelanos gr. x tempore antemeridiano bis, interposito horae dimidiae intervallo, et si gravior est casus, tertiam dosin horis vespertinis praebet. Quae curatio continuatur, donec vel morbus mitescat, vel vires plane prosternantur. Minores calomelanos doses, vel nullae amplius porriguntur, si numerus, copia et liquiditas alvi excretionum minuuntur, si stupor, deliria, sopor de-

[1]) Reimann l. c. S. 43.

[2]) Mediz. Zeitschrift d. Vereins f. Heilk. in Preufs. No. 57. 1833.

crescunt, si lingua et cutis humescunt simulque pulsuum frequentia remittit, quae imminente exitu lethifero non minuitur. Viribus maxime prostratis, camphorae gr. j—iij vel cum calomelane, vel gr. x—xij forma emulsionis cum gummi arabico praescribuntur; nam opium nocet, aegroti stuporem adaugens.

Merita haud exigua de explorandis calomelanos effectibus schola Herbipolitana et Tubingensis sibi peperit; quam inprimis Sicherer[1]) et Cless[2]) secuti, splendidissimos obtinuere eventus:

	Curati sunt	Mortui	Centesimae	Doses Calomelanos
A. 1834—35	102	8	$17\frac{6}{9}$	78
A. 1835—36	104	4	26	192
A. 1836—37	215	5	43	336
A. 1837—38	108	1	$\frac{1}{108}$	300
A. 1838—39	111	1	$\frac{1}{111}$	324

Methodus ibi usitata generatim haec fuit: Vel singulis vel alternis diebus ℈j calomelanos praebebatur, prout alvi excretiones et symptomata urgentia expostulabant. Alvo ad normalem conditionem reducta, non modo supervacuum, sed noxium quoque putabatur, remedii usum continuari. Scrupuli duo—tres, interdum unus, sufficiebant, raro scrupuli quinque, rarissime sex aut septem praebebantur.

Ratio princeps, magnas calomelanos doses in typho adhibendi, experientia nititur, quae, frequentiam alvi excretionum cum dosium numero inversam alere proportionem, docet, donec defaecatio prorsus normae respondeat.

Hauf[3]) ex quinquaginta aegrotis undeviginti primis morbi diebus majoribus calomelanos dosibus curavit, (nunquam scrupulos duos excedens) eventumque prosperrimum impetra-

---

[1]) Sicherer, Bericht über das Paulinen-Hospital zu Heilbronn. Juni 1840. — Med. Correspondenzblatt des Würtembergischen Vereins. Bd. X. No. 12. 13.

[2]) Clefs ibid. Bd. XI. No. 44.

[3]) Würtemberger Correspondenzblatt. Bd. X. No. 21.

vit: febris decrevit, aegroti magnum senserunt levamen, sensorium integrum evasit, diarrhoea substitit, totusque processus typhosus non mediocriter mitigatus, interdum plane interceptus est.

Abele [1]) etiam in epidemia typhi abdominalis unum et quinquaginta aegrotos dato calomelane sanavit. Huic remedio virtutem adscribit, reactionem adversus typhum inducendi, quae, levibus stipata febricitationibus, relative brevi tempore fere expers periculi absolvatur.

Schoenlein [2]), scholae Tubingensi addictus, alternis diebus scrupulum integrum praebet, intermediis diebus calomelas seponit. Tempus adhibendo calomelani opportunissimum est prius dimidium primae periodi hebdomadariae, quam typhus emetitur, hoc enim tempore in usum vocato calomelane, typhus abortiendo exstinguitur.

Praeter viros dictos nuperiori aevo Weber, Boesch, Rosch, Reinhardt, Reimann, Hertel, Calomelanos efficacitatem scriptis egregiis defenderunt. Unus quidem alterve eorum non doses illas majores praeberi suadet, veruntamen hoc minus ipsi remedio, quam externis conditionibus, nominatim annuae constitutioni, genioque epidemico imputandum est. Provocare liceat ad effatum medici legionarii Cel. Dr. Krause, patris mei successoris, qui in nosocomio militari, cui praeest, methodum a patre constitutam optimo cum fructu exsequebatur, dummodo aegroti in primo aut ineunte secundo morbi stadio ad nosocomium deferrentur. Inde a verno autem tempore anni superioris solitae doses debitum effectum non praestiterunt, immo vero morbum in deterius verterunt et summa tantum cura medicaminumque vicissitudine effici potuit, ut major aegrotantium pars morti eriperetur. Passim quidem Vir experient. denuo ad calomelas confugit, sed salutarem eventum non obtinuit.

---

[1]) ibidem Bd. XI. No. 14.

[2]) Klinische Vorträge. Berlin 1843. 1. Heft. S. 4.

In syphilide etiam et quidem in omnibus ejus formis majores calomelanos doses adhibitae sunt. — Contagium venereum ut incitans [1]) corpus afficit et exinde fit irritatio, fermentatio, reproductio. Sensibilitatem enim in toto organismo exaltatam observamus atque concludere debemus, illam esse, quae reactionem excitet corporis. Quare major morbi vehementia in juvenibus, in robustis, plethoricis, quibus necessario producitur reactio. Confirmat experientia, symptomata luis venereae maxime notabilia evanescere vis vitalis universae depressione, v. c. accedente typho. Hydrargyrum autem sensibilitatem et aliquam reproductionis partem sensim reprimit et sic causam diminuit, cur natura haud ipsa se sanare valeat, nam mercurius miasma venereum haud delet [2]), sed modo supprimit et sic morbi progressus arcet.

Jam J. Agricola [3]) hydrargyrum esse dicit subsidium et bis per hebdomadem ejus dosin praeberi suadet, quippe quod, etiamsi sedes multas non cieat, tamen multum muci corrupti eliminet.

Wedel laudat in fluxibus seminis, gonorrhoea simplici et virulenta, „ulcus enim vesicularum seminalium, quo malum fovetur, rumpit et expurgat, inde etiam ejus usu fluxus videtur augeri." Clarc [4]) saepe remedium promtissimum esse tradit; idem laudat Girtanner, Schwediaur, Hunter, quorum hic pilulas ex calomelane et sapone confici jubet; Jaeger [5]), Mathias, Jahn [6]), qui meliorem esse putat calomelanos effectum, quam recentiorum praeparatorum, hydrargyri muriat. corrosivi, oxydati rubri, oxydulati nigri.

---

[1]) Hufeland's Pathogenia. 1795. p. 257. — System der Heilkunde. Th. II. p. 399.

[2]) Mathias the merc. disease.

[3]) J. Agricola, Chirurgia parva et aucta. Nürnberg 1674.

[4]) Clarc, Methode nouvelle et facile de guérir la maladie venerienne. Paris 1785.

[5]) Jaeger, über d. Natur u. Behandl. d. krankhaften Schwächen des menschl. Organismus. Jahresklinik der chron. Krankh. 1817.

[6]) Jahn, mat. med. p. 585.

Saluberrimos autem dosium majorum effectus in morbis syphiliticis Weinhold [1]) expertus est et quamquam non omnia mala inveterata sanavit, tamen remedii usum eo emendavit, quod alia medicamenta in reproductionem valide agentia simul cum eo adhiberi jussit. Curatio ab eo proposita, quae mercurialis magna appellatur, haec est: Aegroto vespertino tempore, horas aliquot ante sommum, jejuno ventriculo grana calomel. x cum sacchari gr. xv exhibentur, tum phialae aliquot jusculi carnis propinantur; post horam dimidiam eadem repetitur dosis et, si aeger validior est, post alteram horam dimidiam dosis dimidia datur, ut in universum gr. xx — xxv calomelanos et sex phialae jusculi sumantur. Altero mane phialae aliquot infusi coffeae mediocriter saturati praebentur, quo facto plerumque sedes III—IV liquidae secedunt, quod si non evenit, post horam decimam — duodecimam a medicamentorum deglutitione gr. xv — xx radicis jalapae et Kali tartarici ᾱα sumenda sunt, ut una saltem alvi excretio inducatur, quippe quo effectu impetrato, raro ptyalismus accedat. Biduo interposito, aegrotus secundam remediorum supra dictorum dosin, septimo die tertiam, decimo quartam, decimo tertio quintam, decimo sexto sextam deglutiat necesse est, quo facto dosi septima aut octava die decimo nono aut vicesimo secundo curatio absolvitur. Nunquam auctore Weinhold largiore portione opus erat, ut vegetatio morbosa ad naturae normam restitueretur. Inde a tertia aut quarta dosi cuique pulveri gr. v jalapae addidit, quoniam ventriculus et intestina hydrargyri incitamento jam assueverunt. Diaeta nutriens est, neque haec methodus aliorum remediorum usum simultaneum, v. c. antidyscraticorum, excludet.

Quamquam methodus, syphilidem calomelane curandi a medicis plane deserta est, tamen meum esse putavi, ut ejus mentionem facerem.

Multi supersunt morbi, nominatim inflammatorii, in quibus

---

[1]) Weinhold, Krkh. d. Gesichtsknochen u. ihrer Schleimhäute. Halle 1818.

calomelas, imo passim magnis dosibus, exhibitum est, v. c. a Taube in raphania [1]), at in nullo eorum certa hucusque methodus, qua adhibendum sit, constituta est.

VITA.

Ego Gebhardus Rudolphus Albertus Lesser, evangelicae confessioni addictus, Sedini Pomeraniae capite, die XXV m. Julii A. MDCCCXXIII natus sum, patre Ferdinando, divisioni exercitus borussici medico praefecto, matre Friderica e gente Gebhard, quos parentes carissimos adhuc salvos veneror.

Primis litteris imbutus Gymnasium Berolinense Friderico-Werderanum, quod tunc Beat. Ribbeck directore florebat, adii ibique per septem annos litteris humanioribus operam dedi; tunc cum parentibus Posnaniam profectus Gymnasium Friderici Guilelmi petii, quod post duos annos et dimidium maturitatis testimonio instructus reliqui.

Mense Octobri A. MDCCCXLIII ad hanc almam Berolinensem musarum sedem me contuli, ubi ab Ill. Lachmann, rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, apud Ill. Busch, gratiosi medicorum ordinis decanum maxime spectabilem, nomen professus sum. Post annum et dimidium Vratislaviam petii, ubi ab Ill. Pohl tum fasces academicos tenente numero civium academicorum adscriptus ab Ill. Benedict, t. t. facultatis medicae decano maxime spectabili, in album medicorum relatus sum. Post semestre denique Berolinum redux ab Ill. Trendelenburg, rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus gratiosi medicorum ordinis decano Ill. Hecker nomen dedi.

Per quadriennium his interfui scholis: Ill. Mueller de anatomia universa, de physiologia, de anatomia organorum sensuum, de anatomia pathologica et de historia foetus; Ill. Schlemm de osteologia et syndesmologia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de medicinae historia; Ill. Trendelenburg de logice et psychologia; Ill. ab Hagen de Germanorum mythologia; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Schultz de historia naturali, de botanice, de corporis ananeosi; Ill. Ehrenberg de infusoriorum anatomia

---

[1]) Joh. Taube, Gesch. d. Kriebelkrkh., die 1770 u. 71 in den Zellischen Gegenden wüthete. Göttingen 1782.

subtiliori comparativa; Ill. Dove de physice et meteorologia; Ill. Glocker de mineralogia; Ill. Barkow de anatomia comparativa, de angiologia, de institutionibus zootomicis; Ill. Benedict de fasciis instrumentisque rite applicandis; Ill. Goeppert de materia medica, de arte formulas medicas rite componendi; Exp. Dann de pathologia et therapia generali; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Juengken de chirurgia tum speciali cum generali, de corporis laesionibus; Cel. Schmidt de arte obstetricia; Ill. Casper de medicina forensi; Exp. Ebert de morbis infantum. In arte cadavera rite secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm duces mihi fuere experientissimi. Exercitationibus clinicis, medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis interfui Ill. et Cel. Schoenlein, Wolff, Romberg, Juengken, Truestedt, Dieffenbach, Schmidt. Privatissime audivi legentes: Ill. Schlemm de arte operationes in cadavere rite instituendi; Cel. Angelstein de operationibus ophthalmiatricis.

Quibus omnibus Viris Illustrissimis, Celeberrimis, Experientissimis, optime de me meritis quas possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in me medicinae et chirurgiae honores conferantur.

THESES.

1. Sola auscultationis et percussionis signa certae morbi diagnosi statuendae non sufficiunt.
2. Corpus humanum non est symmetricum.
3. Pus et mucus inter se non differunt.
4. Nulla remedia antisyphilitica satis certa extant praeter hydrargyrum.
5. In phthisi pulmonali non est utendum regimine antiphlogistico sed corroborante.